

Acetum saturni & sal.

Rx. Plumbi albi pulverati, quantum volueris.

Inde in vas vitreum, affunde

Acetum distillatum ad eminentiam quatuor digitorum.

Effervescencia peracta, digere igne arenæ per tres dies identidem agitando, liquorem decanta. Superstiti materiæ affunde acetum, digere, decanta ut supra; Liquor primo decantatus est ACETUM SATURNI.

SAL ut obrineas, liquores omnes decantati vaporent lento igne ad pelliculam, & in loco frigido repositi in crystallos concrecant; evaporationem & crystallificationem repete. Crystallos omnes sicca & serva.

SALIA ESSENTIALIA.

Sal essentiale plantarum.

Rx. Herbæ cujusvis virentis, quantum volueris.

Concisam & conrusam subijce torculari; exprime succum, trajice per manicam; vaporet ad quartam circiter portionem liquoris superstitem. Quiescat in cella, donec concrecant crystalli. Collige. Evaporationem & crystallificationem repete, donec omnes crystallos exhausseris.

Nota, Herbas viscosas igne leni emolliendas esse, antequam prælo committantur; arque etiam sicciore ex aquæ sufficiente quantitate elixandas. Non absimili modo Salia Essentialia præparantur ex succis Fructuum.

Sal, five saccharum lactis.

Rx. Seri Lactis clarificatissimi, quantum volueris.

Vaporet ad pelliculam in vase vitreo, Balneo maris. Repone in cella ut concrescant crystalli, aqua frigida abluendæ.

SALIA FIXA ACIDA.

Gilla vitrioli.

Rx. Vitrioli albi, uncias quatuor.

Dissolutum in aqua filtra. Vaporet igne arenæ in vase vitreo ad pelliculam. Tum repone ad crystallisationem.

Vitriolum calcinatum & colcothar.

Rx. Vitriolum viridis, quantum volueris.

Calcinetur in vase ferreo; evadet massa ex albo cineritia, & erit VITRIOLUM AD ALBEDINEM CALCINATUM.

Si interiori igne urgeatur, colorem induet rubrum, & erit COLCOTHAR.

Nota, quod æstivo tempore, sub æstuantis solis ardore, Vitriolum calcinari potest, tumque sumitur Vitriolum Romanum, & sic præparatum, dicitur vulgo PULVIS SYMPATHICUS.

Sal vitrioli.

Rx. Colcotharis, libras sex.

Affunde Aquæ ferventis, quantum satis.

Stent per diem sæpius agitando. Bulliant parum. Quiete subsideant. Decanta. Alteram aquam affunde. Digere, decanta ut supra, idque pluries. So-